

II  
l  
100

Q. K. 353, 52.

3193.

RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

# GEORGIVS STEPHANVS WIESAND

IVR. VTR. DOCTOR INSTITVT. PROFESS. PVBL  
ORDINARIVS CVRIAЕ PROVINC. SCABINATVS ET

FACVLT. IVRIDICAE ASSESSOR

ORATIONEM

GENERALISSIMO DOCTISSIMOQUE

IOANNE ERNESTO DE GLOBIG

GRAVWINCKELIO - SAXONE

IN LADEM

LIBERALITATIS SCHVTZIO - GERSDORFIANAE

H. IX. A. M. IN AEDE ACADEMICA

EVTVRO DIE VENERIS CIDIICCLXXI

HABENDAM

C I V I V M

FREQUENTIAE COMMENDAT



QVO PACTO SVBVENIENDVM PECVNIAE  
MAGIS MAGISQVE DEMINVTAE ATQVE  
VNDE HAEC PENVRIA

**I**sta uidimus tempora, quibus non Cappadocum modo rex eget aeris, sed etiam regiones omnes auri argenteique conqueruntur paucitatem, illis exceptis, quas Martis iniuriis eripuit prouidentia, quaeque ex aliena calamitate lucrum captarunt. Satis quidem constat, mortalium querelas importunas saepe reperiri, impotentes faltem atque immoderatas. ut enim quisque diuiniis maxime floret, ita quisque memoriae miseras suae summopere exagerat, quod haec est iniquitas iudicii fere nobis infita, ut patres maioresque laudemus, aequales spernamus, progeniem metuamus longe deteriorem. At, quocunque nunc oculos conuertimus, neruum deesse rerum gerundarum cernimus. Quae quidem tenuitas non solas premit casas, sed regias etiam perturbat arces, difficultate tanto maiore, quanto pluribus praesidiis opus est, ad rei publicae salutem, omni ex parte tutandam. Vnde, quaeso, haec fundi nostri calamitas, quibus ea subsidiis tollenda, aut minuenda certe. Hic uiri ciuiles certatim deliberrant, omnesque contendunt ingenii neruos, ut, unde hoc malum nascatur, quibus modis subleuetur, intelligent. Ad metu aero pauci perueniunt, quod res, ut natura copulatas, sic officio iunctas, disiungunt

gunt, ac uel principi, cuius liberalitate fruuntur, ser-  
uiunt unice, uel, populari tacti sensu, commoditates  
nimium curant subiectorum. Ad philosophos res  
postremo reddit, non scholae magistros, sed uitae.  
Horum est, sine partium studiis res ipsas contueri, ea-  
rum cauſas indagare, atque excogitare parata reme-  
dia. Quoniam tamen in tricis plerumque morari  
ignaua opera uidentur, optimum factu puto, com-  
memorabili cauſam totam exemplo ante oculos po-  
nere, ex eoque salubria praecepta ac frugifera duce-  
re. nam, quod ipſe comprobat usus, illud temere uo-  
catur in dubitationem

Totius narrationis fundus Eusebius esto, in uita  
Constantini, cognomine magni, (I. 14) Quem quo  
pleniore laudet ore, patris quoque uirtutes aduocat,  
quas ille uelut hereditate acceperit. Maioris ampli-  
tudinis cauſa Constantium cum collegis confert, et,  
quantum inter eos intersit totius institutis uitae, mon-  
strat. Illos coelum petiſſe audacia, ac ueri cultores  
Dei non uexasse modo, sed etiam templa fanaque di-  
ruisse. hunc puras seruasse manus, neque in homines,  
neque loca sacra faeuiffe. illos anilem superstitionem  
latius studiuſſe propagare, eaque mentes ciuium ob-  
scuratas decepiſſe. hunc regionibus suis summam ser-  
uasse pacem, cum eaque ueniam, numen arbitratu  
suo colendi. illos tributis insanis res accidisse homi-  
num priuatorum, ut nemo uitam degeret uitalem,  
sed quauis morte acerbiorum. hunc paterna cura fo-  
uiffe suos, et placido principatu tranquilloque cun-  
dum

Etos recreasse. Atque hoc postremum decus tanti  
facit Eusebius, ut in eo probando collaudandoque  
praeципue morandum putet. Nos eius auctoritatem,  
de Graecis in Latinum conuersam, primo dabimus,  
ac deinde animaduersioribus illustratam quibusdam,  
in succum, quod aiunt, sanguinemque uertemus  
20.5 Longe lateque fama percrebuerat, mitem se  
gerere ac bonum erga prouinciales Constantium.  
Sed obtrectatio statim de hac detrahebat eminenti  
uirtute, atque incredibilem in eos indulgentiam sic  
lacerabat, ut thesauri quicquam reconditum negare-  
tur habere. Quae maliuolentia concitauit impera-  
torem, qui tum temporis sumnum tenuerat imperii  
gradum, ad mittendos homines quosdam, qui eius  
in re publica gerunda socordiam castigarent, res  
angustas praesertim uitio culpaque uerterent, cau-  
sam interferentes liquidam, quod esset aerarium cum  
fisco prorsus exhaustum. At Constantius, nullius sibi  
culpae conscius, constantiam roburque animi reti-  
net, neque quid aliud, quam legatos rogat, ut exiguam sibi moram iniici patientur. Interea ditissi-  
mum quemque ex omnibus, quae ipsius imperio pa-  
rebant, terris cogit, ostendens, pecuniae sese indi-  
gere, hancque facultatem dari, qua suam quisque  
in principem uoluntatem probare sponte possit. At  
illi, qui iam dudum uehementer optarant occasionem,  
qua liceret; quanti eum aestimarent, testificari, hoc  
audio, mox auro, argento, ac reliquis fortunis ga-  
zam eius complere, festinatione certantes ambitiosa,  
ut

ut inter se largiendo uincant, idque laetō uultu  
hilarique uniuersos ac singulos praestare. post orare  
missos homines Constantium, ut in locum pecuniae  
publicae se conferant, et, quid ibi diuitiarum repe-  
rerint, seniori Augusto bona fide renuntient. haec  
quidem nunc, apud se collecta, seruari, sed iam pri-  
dem ab ipsis dominis, tanquam fidelibus bonorum  
depositorum custodibus, possessa adaugeri. Tantae  
miraculo opulentiae legatio obstupefacta, uix oculi  
fidem habuit. Humanitas autem principis, post  
eorum discessum, nihil prius habuit, quam ut tam co-  
piosae rei ac fortunae possessores reuocaret. Itaque,  
laudato obsequio tam prompto, studisque erga se  
adeo liberalibus comprobatis, sua quemque recipere  
iussit, domumque reportare, ne numo quidem de-  
cerpto. Sic abstinentia Constantii repressit liuorem,  
tantumque afuit, ut conuinceretur inertiae admini-  
strandi muneris, ut omnes, illum ueras regnandi ar-  
tes tenere, egregioque publico mirifice prospicere,  
uno ore faterentur. Haec tenus Eusebius, laudator  
parentis Constantini M. quo clarius appareat, hunc  
domestica habuisse exempla, quibus excitatus, ad  
summam gloriam grassaretur

At hoc illud est, quod cautissimo cuique suspi-  
cionem facile mouet. Quis fidem tribuet testimo-  
nio; quod praeco uirtutis alienae, mercede condit-  
us, perhibet, ad gratiam adulazione captandam.  
Hic sibi concessum putat ementiri in historiis, ut ali-  
quid dicere possit argutius. Num te praeterit in-  
dignatio

dignatio Liuui, uitiatam memoriam funebris laudibus, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque, fallente mendacio, trahant. inde certe et singulorum gesta, et publica monumenta rerum confusa, nec quenquam aequalem temporibus illis scriptorem extare, quo satis certo auctore sectur (VIII. 40) Quam transtulit animadversionem Patauinus e Bruto Ciceronis (c. 16) bis laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. multa enim scripta sunt in iis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus. Relinquitur, ut fides Eusebii, bonitatem Constantii moderationemque exornantis, prope concidat. At uero non sublata penitus est. neque enim blandiloquentiae nimium seruit, quae deprehensa uanitatem prodat, neque ab oratoris persona longius discedit. Historicus rem, sicut gesta fuit, simpliciter exponit, poeta fingit multa, nec tam, quid aetum sit, uidet, quam quid potuerit, et quo modo, suscipi, orator, qui laudibus aptis praecclare facta prosequitur, hanc in dicendo rationem tenet, ut, si quid boni repererit, illud amplectatur, exornet, exaggeret, ibi commoretur, ibi habitet, ibi haereat, ex Antonii Tulliani disciplina (de orat. II. 72) Eadem circumspectione se tractat amicus Pamphili, atque e tota Constantii uita ea legit, quae cum primis moueant animos, neque illa mendaciunculis aspergit, sed horum magnitudinem copia dicendi  
grau-

grauitateque in bono lumine collocat. Quae quamuis tam sint liquida, ut aequis iudicibus facile faciant satis, tamen supersunt maiora, quae pro Eusebii possint integritate proferri. Neque enim modo Christi praecptis addicti in uehenda sapientia, facilitate, magnitudineque animi Constantii inter se conspirant, sed etiam scriptores profani illum laudibus illustrant. Satis est, unum Eutropium testem excitare, qui scite principis huius imaginem expressam formauit, dignam sane diligente posteritatis omnis contemplatione (X.1.) *Constantius vir egregius, et praestantissimae ciuitatis, diuinis prouincialium ac priuatorum studiis, fisci commoda non ad modum affectans, ducensque melius, publicas opes a priuatis baberi, quam intra unum claustrum reseruari, adeo autem cultus modici, ut ferat diebus, si cum amicis numerosoribus esset epulandum, priuatorum eis argento, ostiatim petito, triclinia sternarentur. Hic non modo amabilis, sed etiam uenerabilis Gallis fuit.* Principe, sic animato, quid fieri potest aequius, quid generis humani commodis salutarius. Sed, quo clarius enituit eius splendor, eo petulantius ab inuidis obscurabatur. Hi serpunt ad Imperatorem, qui tum summa rerum potiebatur. Repte Valesius hoc accipit de Diocletiano, seniore, ut in ueteribus Panegyricis atque inscriptionibus nuncupatur, Augusto. Atque huius animum tanto faciliter occupant, quod erat e contrariis plane studiis naturae conflatus. nam, sicut Constantius pecuniam contempsit, uehementer gauisus, si posset omnibus

minibus benigne facere, sic Diocletianus, in omnem  
pronus auaritiam, nihil praetermisit, quo posset rem  
coaceruare. Quod uitium in eius sensu firmissime  
infedit, quia iam ab ineunte aetate radices egerat.  
habitans enim cum Druidarum quadam, hanc for-  
dido genere uiuendi atque illiberali dicitur saepius  
offendisse, per iocum pollicitus, fore, ut, si imperium  
capessat, plura largiatur. Sed ne credulos nimium  
nos praebeamus, Vopiscus, quid euenerit, potius ex-  
planet. (Numerian. c. 14) *Avis meus mibi retulit,*  
*ab ipso Diocletiano compertum.* Cum, inquit, Diocle-  
tianus apud Tungros in Gallia quadam in capona mo-  
raretur, et cum Druide quadam muliere rationem con-  
uictus sui quotidiani faceret, at illa diceret, Diocletiane,  
nimium auarus, nimium parcus es, ioco, non serio, Dio-  
cletianus respondisse fertur, tunc ero largus, cum impe-  
rator fuero. Post quod uerbum Druias dixisse fertur,  
Diocletiane, iocari noli. nam imperator eris, quum Aprum  
occideris. Fabellam quidem Vopiscus dicit ipse, eam-  
que, ut Casaubonus recte emendat, curiosam, caussae  
quoque comminiscendi sunt in numerato, ut hoc omi-  
ne munit imperium, Aprique, praefecti praetorio,  
caudem, manu sua factam, purget. Illud tamen fa-  
tis elucet, Diocletianum sacrae pecuniae cupiditati fu-  
isse tantopere deditum, ut uel de ea insolenter gloria-  
retur. Neque dignitas imperii animum eius abiectum  
erexit, imo uero, qui de eo memoriae prodiderunt,  
illum omnibus rei quaerendae rationibus, siue iustis,  
siue iniustis, obnoxium uixisse, consentiunt. Quo

pro-



procluor iste fuit ad audiendam calumniam, aula-  
rum pestem. Hanc, proprius fidem est, in Constan-  
tium sic impetum fecisse. captat ille popularem gra-  
tiam, eaque ambitione ductus, possessionibus incola-  
rum quomodocunque parcit. ita uero Imperator  
iacturam redditum facit suorum, quos si uoluerit in  
integrum restituere, periculum est, ne grauis seditio  
confletur. Quae uoces tanto firmius insident, quod  
plerique sunt utilitatis, quam honestatis, amantiores.  
Qua propter hoc immanissimum monstrum ac foe-  
dissimum perdit regna, quod totum a capite separat.  
Vtinam principes omnes eosdem gererent animos,  
quibus Traianus hanc fraudem ab se remouit, huius  
cautionis caussa ac iustitiae, merito a Plinio laudibus  
in coelum sublatus, sub finem capit is XXXIV. Pa-  
negyrici, et sub initium capit is XXXV. *congesti sunt*  
*delatores in nauigia, raptim conquisita, ut tempestati-*  
*bus dediti abirent, fugerentque uastas delationi-*  
*bus terras, ac, si quem fluctus ac procellae scopulis reser-*  
*uassent, hic nuda saxa, et in hospitale litus incoleret,*  
*ageret duram et anxiam uitam, relictaque post tergum*  
*totius generis humani securitate, moereret. Memoran-*  
*da facies, delatorum classis permissa omnibus uentis, co-*  
*actaque, uel at tempestatibus pandere, iratosque fluctus se-*  
*qui, quoscunque in scopolos detulissent. Iuuabat pro-*  
*spectare statim a portu sparsa nauigia, et apud illud*  
*ipsum mare agere Principi gratias, qui, clementia sua*  
*salua, ultionem hominum terrarumque diis maris com-*  
*mendasset. Quantum diuersitas temporum posset, tum*

b

maxime



*maxime cognitum est, cum iisdem, quibus antea cauti-  
bus innocentissimus quisque, nunc nocentissimus, affi-  
geretur. Est numus elegans, in quo explanando mire  
uariant rei numariae periti, in cuiusque parte auersa  
cernitur nauis, fluctibus maris iactata. In hac insunt  
tres homines, quorum unus militari sagulo operitur.  
Extra nauem stat uir paludatus, qui dextram uidetur  
naui applicare, circa quem hinc duo homines nudi,  
brachiis elatis, quasi nauem fregerint, ifthinc duo  
delphines in aquis natant. Probabiliter Schwar-  
zius, qui Plinianam laudationem tam erudite, tam  
que splendide edidit, atque hoc numisma in exposi-  
tione numorum ueterum (p. 15) praemuniuit, hic ui-  
dere sibi uidetur nauem delatoribus refertam, quo-  
rum numero et milites potuerint esse, marinorum  
deum uindictae permisssi. At alii, qui ad gubernac-  
ula sedent, his instrumentis utuntur, ad bonos op-  
primendos, fortunisque priuandos. Constantius ta-  
men, pro magnitudine animi, quo supra humana  
omnia effertur, plus incolumitati studet communi,  
quam asperae dominationi. nam, ut Eutropius,  
loco superiore, de eo grauiter praedicat, melius du-  
cit, publicas opes a priuatis haberi, quam intra  
unum claustrum referuari. Recte uero, atque emo-  
lumentis publicis conuenienter. Quod ut manibus  
teneatur, comparemus corpus naturale, uelut hu-  
manum, cum morali, cuiusmodi sunt societates.  
Quam quidem collationem hoc libentius instituimus,  
quod magna similitudo intercedit, atque illa uete-  
rum*



rum est usu trita, quorum locos Wetstenius colle-  
git in N. T. (I. Cor. 12. 26) Nobis satis est unus  
ille Ciceronis, ab re praesenti haud alienus (de Of-  
fic. III. 5.) *ut, si unumquodque membrum sensum*  
*bunc haberet, ut posse putaret se ualere, si proximi*  
*membri ualetudinem ad se traduxisset, debilitari et*  
*interire totum corpus necesse est, sic, si unusquisque*  
*nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahaturque,*  
*quod cuique possit, emolumenti sui gratia, societas ho-*  
*minum et communitas euentatur necesse est.* Huma-  
ni uita corporis circuitu sanguinis conseruatur,  
quo temperato, illud uiget, quo turbato, languet,  
quo consistente, in cinerem pulueremque reda-  
ctum interit. Pari modo, pecunia, quoad per  
ciuum manus uersatur, cuique parat, quae sunt ad  
uiuendum necessaria, et quae debentur rei publicae,  
seponuntur. Sin, nimiis oneribus impositis, coar-  
tatur, alii rediguntur ad incitas, ad mediocrita-  
tem fortunae alii. Cuncta uero ubi in fiscum con-  
fluent, postremo nihil redit amplius, et princeps  
cum ciuibus pudendam ad inopiam delabitur. Ma-  
uult Constantius esse pius ac pauper, quam sum-  
mam rerum temere in non necessariam aleam da-  
re. Pii cognomento eum numicohonestant apud  
Begerum (thesaur. Brandenb. T. II. p. 787.) In-  
scribuntur, *diuo Constantio Pio*, uultumque eius  
monstrant. In parte auersa ardet ara inter duas  
aquilas, cum inscriptione, *memoria felix.* Cur  
b 3 Pius



Pius dicatur, coniiciendum magis, quam pro certo dicendum. Varias enim ob caussas fuit nomen Pii Principibus impositum, a Spanhemio letissima humanitate pertractatas (de Vs. et Praest. Num. T. II. p. 434. sqq.) Ab Syriae Asiaeque regibus aliquot acceptum, Antonino primum fuit omnium tributum, ut alii uolunt, ob religionem in Deos, alii ob morum simplicitatem, seu, quem ad modum melius transfert Valesius clementiam, ac potius liberalitatem, alii, quod sacerum, fessum aetate, manu subleuarit, uel Hadrianum, parentem adoptiuum, magnis post mortem honoribus ornarit, alii, quod ab initio principatus multos senatores, ab Adriano neci destinatos, seruavit. Evidem cum primis spectatam charitatem inter Principem et ciues mutuam censeo, quae toties in aere prisco pietatis nomine insignitur, qua cum paucos habeat pares, superiorem neminem, Constantius, et iure meritoque pii cognomen fert, et longe dignior est, qui in Deos referatur, monstris illis, quae Tertullianus exagitat (apol. c. ii.) Nihil aptius illo Claudiani (in IV. conf. Honor. u. 275)

*Sis pius in primis. nam, cum uincamur in omni  
Munere, sola Deos aequat clementia nobis*

Nomen autem pauperis, quod ille subit, tantum abest, ut ei ducatur turpitudini, ut maius de-  
cus

cus conciliet. Quam ob rem sit pauper dictus, e  
Suida cognoscere licet. (u. παῦπερ T. III. p. 62)  
Sic, inquit, uocabatur Constantius, Magni Con-  
stantini pater, quod esset frugi, adeo, ut ne multa  
quidem uasa argentea possideret, nec quicquam  
aliud, quod ad luxum pertineret, ei esset, sed in  
sacris et publicis feriis hominum priuatorum su-  
pellectile argentea, et stragulis uestibus regiam  
ornaret. Egregia uero paupertas, quam abstinen-  
tia peperit. Haec apud Graecos Romanosque  
uiris summis gradus ad summum dignitatis fasti-  
gium fuit. Aelianus enim duabus sectionibus ua-  
riarum historiarum (II. 43. XI. 9) pluribus exem-  
plis effecit, eam bonae mentis sororem extitisse.  
E Graecis, Epaminondas orbis terrarum diuicias  
accipere noluit pro patriae charitate. Scipio au-  
tem Romanus nihil unquam emit, aut uendidit,  
hoc est, per omnem uitam frugalis fuit. Satis de  
Constantio. In quanta autem uarietate hic sint  
tempora uerata, a Perizonio accipiamus licet, qui,  
quae Cominaeus dilatauit, summatim exposuit  
(commentar. hist. p. 9) *Reges Galliae e toto regno  
quotannis tantum XVIII. centena milia francorum  
exegerunt, at Ludouicus XI. auxit hanc summatam ad  
XLVII. centena usque. Sed haec res adeo irritauit  
populi totius ordines, ut post eius mortem, filio ipsius  
praeterito, alium uellent regem constitueret, uel eius  
potestatem maiorem in modum coercere.* Num ga-

za regia copiosior euasit ac locupletior. Idem nobis Perizonius eam aperiat. *Ludouicus quoque XII.*  
*quam arctis rei numariae angustiis in bellis Italicis fuerit*  
*saepe implicitus, et a rebus istibc opportunO tempore*  
*gerendis inhibitus, notissimum est.* Fortasse mirum uobis uidebitur, *Cives*, quid sit, quod ego duas quae cestiones proposuerim, neutram tamen disceptarim. Sagaciores uero estis, quam ut ex iis, quae hactenus disputauimus, ipsi iudicium ferre nequeatis. Vnde pecunia magis magisque minuitur. plerique fisci commoda nimium affectant. Quo pacto succurrentum his angustiis. publicae opes a priuatis habeantur, eaeque modis omnibus in lucro ponantur. Sic amor ciuium, ut Constantius crebris usurpauit sermonibus, refertissimas principibus certissimasque diuitias sumministrabit. At incedimus per ignes, cineri doloso suppositos. Finiamus potius hanc opellam eadem formula, qua Grotius immortaliter operi de iure belli ac pacis fastigium imposuit.  
*Inscribat haec Deus cordibus eorum, quorum res Christiana in manu est, et iisdem mentem duit, quae semper cogitet, lectam se ministram ad regendos homines, Deo carissimum animal*

Nos gratias agimus praepotentis Dei prouidentiae, quae nobis PRINCIPEM concessit, qui uulnera belli lenita obligat, intentissimaque cura nititur, ut Saxonia omnibus uel praesidiis,  
uel

uel ornamentis, abundet. Merito igitur suo  
nomen locupletatoris patriae consequitur, quo  
sunt Romani Hadrianum uenerati, quod munifi-  
centia plane singulari rebus ipsorum asperis suppe-  
tias tulerat. Quam laudem politissima perseque-  
tur oratione Generosissimus Doctissimusque, *de Fideiio Augusto*  
*Ioan-*  
*nus Ernestus de Globig, Grauwinckelio-Saxo, ut ta-*  
bulis supremae uoluntatis Schutziae satis faciat,  
magnam bonorum partem Musis dilargitae, ob  
eamque liberalitatem grata memoria dignissimae.  
Quibus incrementis Gentis Globigiae tanto ue-  
hementius gaudemus, quod academia nostra, quid  
quantumque ei debeat, uenerabunda agnoscit.  
Itaque in sinu fouemus Iuuenem, praeclarae spei  
destinatum, indolisque erectae, in quam, omni lite-  
rarum genere limandam, amor Parentis splendi-  
dissimi, ac sollicitudo incumbit. Progreditur  
autem tanto felicius, quanto studiosius sibi propo-  
nit ad imitandum exemplum doctrinae ac uirtutis  
gloriosissimum, Illustrissimum sacrorum Praesidem  
ac literarum. Ab hoc inflammatur ardore Phi-  
losophiae discenda, quae ducem se nobis ad reli-  
quas scientias praebet, iungendi studia humani-  
tatis, quae, quicquid tractamus, firmant atque ex-  
ornant, historiam colendi praeципue, prudentiae  
lucem ciuilis, dimissisque minutis, ea persequendi,  
quae sint publice frugifera. Qua propter confi-  
dimus, fore, ut personam cunctis suffragiis susti-  
neat



*QK III 100*

neat, maiorumque imagines, de nobis antiquitus  
meritissimorum, nouo lumine collustret. Nam,  
cum Rudolphus filius, sacram illam aediculam pa-  
tris, unde sunt incunabula aedis academicae repe-  
tenda, uillisreditibusque ornaret, membranae, a  
Kirchmaiero libello de Witteberga Saxonum in-  
sertae (p. 49. seqq.) etiam fratres Globigii scri-  
bendo testes affuerunt. Verba ita leguntur con-  
cepta. *Praedictae donationis et appropriationis te-  
stes sunt fideles nostri, dilecti nobiles Conradus de Glo-  
bick, Conradus, Ian, Tammo, de Globick fratres.*  
Quis non gaudeat coelesti numine, quod hoc Ge-  
nus tam diu texit, atque, hac data occasione, pro-  
eius perpetuitate uota nuncupet religiosissima,  
qua ex eo prodit suboleslaeta, atque in templo Aca-  
demico restituto prima de argumento nobilissimo  
uerba, de FRIDERICO AVGUSTO Saxoniae lo-  
cupletatore, facit. Conueniamus igitur in hunc loco  
sanctissimum frequentes, nostraque attentione  
oratori, ad magna contendenti, animos addamus,  
et, sicut Patris Patriae salutem, sic Nobilitatis flo-  
rem Saxonicae, Deo supplices commendemus P. P.  
die S. Triados Festo, ccccclxxi

---

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACAD. A TYPIS



ULB Halle  
007 521 510

3




VJ18

ne







R E C T O R  
E VITEMBERGENSIS  
I S STEPHANVS  
E S A N D  
R INSTITVT. PROFESS. PVBL  
IAE PROVINC. SCABINATVS ET  
IVRIDICAE ASSESSOR  
RATIONEM  
SSIMO DOCTISSIMO QVE  
NESTO DE GLOBIG  
WINCKELIO - SAXONE  
IN LAVDEM  
SCHVTZIO - GERSDORFIANA  
IN AEDA ACADEMICA  
VENERIS CIDIOCCCLXXI  
ABENDAM  
V I V M  
NTIAE COMMENDAT

